



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Abramius Er. 16. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

16. Mart. VITA SANCTORVM. 141

fendit, ipse cognitos incognitus domo excipit
habetque per liberaliter. Postridie LONGINVS
LONGINVM prodit, mirante & tesseram hospitii
frangere ipso hoste renuente. Sed animos addit
LONGINVS, jamque Martyrum purpuram ambiens
vestes candidas induit, animamque cælo, caput
Pilato dat ferendum. Hic nobile spolium in fime-
tum abjecit. Prodidit tamen iterum se Divus, &
ut sepulchro caput cum filii cadavere conderet,
matronam oculis destitutam monuit. Itaque tan-
tum thesaurum reperit cæca. Sed & oculos unæ
reperit. Ex Metaphr. & vita Christi Germ.

Dominus meus JESVS, post cetera inestimabilis sua
erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter
me passus est latus fodi; quod videlicet non nisi de dex-
tra propinare mihi vellet, non nisi in dextra locum para-
re refugii; utinam merear esse columba, que in for-
mine lateris dextri habitat! S.Bern.serm.7.Qui hab.

S. ABRAMIUS ER. 16. Martii.

ABRAMIUS nobili loco natus, ipso festo nu-
ptiarum suarum die, cum domum sponsa du-
cenda esset, damnato thalamo, & sponsæ & mun-
do se subducens, in loca sola aufugit. Inde sacris
initiatus, efferam gentem longâ patientiâ, & supra
quam credi potest, magno labore Christo subegit.
Sub haec Maria neptis ex fratre, quam ille à tene-
ris, moribus optimis ac summâ pietate imbuerat,
cum semel lapsa esset, per omnia deinde vitia vo-
luta, ex eremo demum in mundum (hoc est ex
cælo in orcum) præceps ivit. Jam publica infamia
& scopulus audiebat castitatis, cum ostento divi-
nitus objecto ABRAMIUS draconem vidiit immani-
richtu columbam incautam deglutire, qui tamen

mon

mox medius ruptus aëri & libertati pavidam redideret. Hoc viso animatus, cùm & fugam lapsæ, & redditum resipiscentis non malus vates ominatus esset, ingenium ecce exerit, & id ætatis senex militem induit atque urbem petit. Hic qui L. ipsos annos vinum nec libaverat, convivium instruit, mensæ neptem adhibet, quæque ad hilaritatem faciunt, omnia facit pius auceps. Mox tamen captatā in tempore occasione, quis sit, aperit, cur venierit, exponit. Tum verò verbis D eo plenis agreditur, & primò mirari, deinde nutare, tum cedere, demum manus dare Mariam cogit. quid multis? ad columbaria Eremi reducit. Quid ibi, ais, columba capta? nempe gemuit. Ex vitiis PP.

Deus ob ineffabilem misericordiam, Crucem propterea sustinuit; cur non & nos erga proximos justi simus, & agnoscentes eos ut membra nostra & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis reducamus? S. Chrys. in Gen. hom. 3.

B. TORRELLUS C. 16. Martii.

PEtrum videre te alterum puta, cùm TORRELVM vides. Nam & hic forte fortunâ gallum in humeros involantem, tertioque cantantem audivit, flevit, resipuit, & ex Veneris, cui meliorem ætatem devoverat, mancipio cæli delicium factus, quidquid pauculis annis in urbe peccavit, LX. omnino annis inter silvas damnavit. In his civium illi frequentia arbores, tectum cælum, vestis setosum porci corium, arma, quibus in se utebatur, catena ferrea, diliciæ panis & fons, cubile terra, plumæ sarmenta, cervical lapis fuere. Sic quoque non nisi tres horas somno, reliquum omnino noctis lacrimis transcripsit, tunc etiam credo gallo